

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Aspirationes mentis et cordis - Cod. Ettenheim-Münster 82

Landsberg, Johannes Justus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 5tum

[urn:nbn:de:bsz:31-108793](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108793)

Caput 5. tum
Aspirationes ad Deum ob
ejus immensitatem.

ps. 138

Hier. 23

1. O quam magna multitudo magnitudinis tuae Domine Deus. Ecce si ascendero in coelum ~~in~~ ~~caelum~~, tu illic es, si descendero in infernum ades; coelum quippe, et terram imple. Si hunc mundum transcendam, et te extra eum quaram, etiam illic te inveniam; quia nihil potest cogitari, cui non praesentissimus adsis; imo licet mille mundos creaveris, hos omnes tamen maiestate tua implebis. Nullum igitur reperio finem tuae magnitudinis, et quo mens mea altius supra coelos ascendit, tanto te sublimiore, ac ab omni fine remotiorem deprehendit. Revera magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis. Ecce anima mea, quam magnum, et immensum, ac proinde omni amore dignum habeas Dominum. O Domine Deus largire, obsecro, ut mens mea sancto fervore extra te raptam, atque abyso immensitatis tuae absorptam, in te feliciter soporata obdormiat, et suaviter quiescat.

ps. 144

2. Ecce Domine Deus veluti vastissimum mare, quod initio ac fine caret praesens oculis habere arbitror, dum immensitatem tuam animo

perlustro. Sicuti enim Spongia in medio ma-
 ris posita ex omni parte impletur ipso mari,
 sic omnis creatura quodammodo plena est in-
 finita maiestate tua: et sicut Spongia, si
 cum vastissimo mari conferatur, prorsus exi-
 qua videtur, sic omnis creatura, si tibi com-
 paratur, pro nihilo computatur. Ecce gentes Isa. 40
quasi gutta Situlae, et quasi momentum stae-
rae reputatae sunt, omnes gentes quasi non sint,
sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane re-
putatae sunt ei. O in magnitudines incompre-
 hensibilis Deus! o summa, o immensa Maiestas!
 Ah quantum desidero, ut iam sileant mihi stre-
 pitus creaturarum, discedant a mente mea vana
 imagines et forma rerum transcurrentium. Ah effice
 Domine Deus, ut anima mea transeat cuncta
 creata, atque ~~in~~ ⁱⁿ profundo immensitatis tuae, prorsus
 immergat.

3. ^{esse} Finge ^{tibi} tantam distantiam inter coelum
 et terram, ut lapis molaris e firmamento coeli
 cadens in terram, spatium centum annorum
 explere debeat, usque dum eo perlingat, fin-
 ge etiam extra coelum et terram tantum ad-
 huc superesse spatium, ut illud sol non nisi
 intra mille annos percurrere possit. Proh! quan-
 ta erit haec extensio, quam magna haec vasti-
 tas; et tamen totum hoc veluti immensum

Spatium facile Deus sua majestate implebit
 Imo tanta et talis vastitas immensitati divinae
 comparata valde exigua, et pro nihilo compu-
 tabitur; siquidem eam intellectus humanus
 sibi imaginari potest, at immensitatem divi-
 nam nulla mens capere sufficit: et quanto
 plus animus de ea sibi imaginatur, tanto plus
 semper superest de ea cogitandum. O immen-
 se Deus! O mirabilis in altis Dominus! O ama-
 bilis abyssus O desiderabilis abyssus, cur non
 totus absorbeor in te? quid volo, quid quero
 extra te? Ah absorbeat, obsecro, absorbeat me
 melliflua vis sanctae charitatis, rapiat interiora
 mea flamma castae dilectionis, ut tibi ^{unic} intendam,
 + semper te desiderem, tibi inseparabiliter adhaeream.

Caput 6^{um}

Aspirationes ad Deum ob eius bonitatem.

Aspirationes ad Deum ob eius bonitatem.

ps 18

Bonus es Domine, et in bonitate tua
 contemplanda deficit anima mea: Bonus es
 Domine, et nemo vere et perfecte bonus, ni-
 si tu solus, quia tu solus in te comprehendis
 omnem rationem boni, et omnem gradum bo-
 nitatis ^{quaeque} infiniti forent ^{omnes} ~~in unum~~
~~condemnati~~ ^{in unum} ~~condemnati~~ ^{in unum} ~~condemnati~~
 valuti in unum conflati, ut in se quicquid pulchri
 fingas tibi infinitas

Et cum
 7 quamquam

fingas tibi infinitas